



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Academia Peccatorvm. Seu Conciones De Tota Parabola
Prodigi Euangelici**

Qvae Poenitentia Peccatorvm Sev Conciones De Prodigii Evangelici Reditv
Ad Patrem

Bosquier, Philippe

Moguntiae ; Coloniae, 1615

XVIII.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55940](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55940)

CONCIO XVIII.

Græca.

8. Ἀναστὰς παρδύσωμι πρὸς τὸν πατέρα μου, & ἐπὶ αὐτῶν

Vulgata.

8. Surgam, & ibo ad Patrem meum, & dicam ei.

Syriaca.

8. Surgam, proficiscar ad Patrem meum, & dicam ei.

ARGUMENTVM.

- Dicemus
hodie.
1. Quomodo ista verba Prodigii, Surgam & vadam ad patrem meum: conueniant gentilibus.
 2. Quomodo conueniant Publicanis tempore Christi, & generatim peccatoribus omnibus.
 3. Quomodo optime quadret in Hugonotiac, Quomodo Papa Romanus vere vniuersalis pater sit; cum bona precatione.

A V E.

I.

Quomodo ista verba Prodigii, Surgam & vadam ad patrem meum: conueniant Gentilibus.



VM heri mōstrauerimus nostri Prodigii animositatem, quod statueret delerere Herum, & redire ad patrem, id est, incipere vellet suam penitentiam; verba ista *surgam*, & *ibo paulo* nobis pressius consideranda sunt; & quomodo optime gentilibus, & publicanis, & omnibus peccatoribus, maxime hæreticis cōueniant. Maldonatus in isto *surgam* notat Hebraismum, vsitatum in inchoatione operum. Cum enim vacamus, fere desidemus: vnde prouerbiū *sedere ad Eurydam*, pro nihil agere. Surgimus autem quādo aliquid operis moliri incipimus. Allegat huc illud Psalmiste, *surgat Deus & iudica terram*: & illud Deuteronomij, *surgant Dii vestri & opitulentur vobis*. Atque ita iuxta opinionem ipsius,

Deut. 32.

sius, prioris loci sensus est, Domine incipe iudicare
 ergam; posterioris, incipiant idola vos iuuare. Vt
 antur suo, *surgere*, eo modo quo nos Latine *age*, *age-
 lum*, *agite*, *age sis*: Galli *orsu*, *orsa*, & sæpe magis interie-
 ctiones exhortantis quam significatiua verba sunt.
 Atque ita videtur Maldonato adolescens sibi addi-
 disse animum, ad adeundum patrem; & obfirmasse
 ad confessionem peccatorum. Maldonatus, dilectis-
 simi, vir doctus docte scripsit; concedo etiam, & fa-
 vor libens nonnunquam Hebræos ita suo *surgere* uti:
 non tamen probo in hac parabola quærere aut scru-
 tari hebraismos, (vt & alias respondi ad Maldona-
 tum) Sanctus enim Lucas huius parabola author,
 græcus græcè scripsit, non hebraice suum Euange-
 lium. Inconueniens autem tot intermiscere hebrais-
 mos sicut multum latinizare in lingua gallica. Simi-
 liter *sedere*, non magis otium significat, quam stare.
 Ita enim sæpe videmus latinos uti verbo *stare*, pro va-
 care ab opere; nihil agere, non procedere. Nunquam-
 ne legistis *quid stas? quid cessas?* item, *quid hic statis tota
 diuosi?* Portus, castra, receptacula militum, equo-
 rum, loca quietis, *stationes* & *stabula* appellantur,
 non *sedilia*. *Statio militaris: statio Philistinorum, &c. in
 qua ad tempus stant milites, Philistei, naues, concionato-
 res, &c.*

Matth. 10.

Virg. lib. 2. Æneid. de Tenedo insula.

— *Statio mala fida carinis.*

Naues enim etiam stare & stabulari dicuntur.

Et maxime si hic admittamus hebraismum, ia-
 quam occludimus infinitis pulcherrimis cōceptibus,
 qui ex vocabulo isto *surgam* lepidissime surgunt, si vt
 verbum, & non vt aduerbium, aut interiectionem
 hortantis interpretemur. Sine hebraismo, peccatoris
 status, tam ante quam post pœnitentiam, hic natu-
 ralissime depingitur. Patres denique veteres, & mo-
 derni, non vt hebraismum exponunt. Quæ omnia
 prohibent, quo minus cum Maldonato hebrai-
 sem, sed rotunde hæc intelligam. Dicamus igitur
 quid per *surgam*, &, *ibo ad patrem*, indicet moster

Prodigus. Vno verbo dicit se abdicare ignominiosum & fœdum illud seruitium, herum, porcos, remeare ad patrem, quidcunque tandem eueniat. Et per illud, *surgam*, forte speciatim dicere voluit, primo mane, primo crepusculo, ante auroram, vel medio nocte, se subito & clanculum abiturum, in salutari hospite. Sic enim fugitiui faciunt, & qui foro cedunt, ac ita multa hic pulchre insinuat. Primum loca vnde, & quo, *terminos a quo, & ad quem*. Secundo quid facere velit, id est, deterere tyrannum, requirere patriam. *Surgam*, id est, discedam a Domino tam immitti, tam barbaro, & *ibo ad patrem meum humanissimum*. Tertio explicat modum *surgam*, & abibo, nocte concubia, furtim discedam.

Quarto causam cur id facturus sit, si malimus græcisare cum S. Luca, quam hebraisare cum Maldonato: græcus enim textus S. Luca significare potest, subtraham me hinc, & reuertar, ibo propter patrem, *πρὸς τὸν πατέρα μου*. Græcum enim *πρὸς* diuersa significat. Nonnunquam (ad) vel, *versus*, talem aut talem, & sic interpret noster vertit, *ibo ad patrem*, seu, *versus patrem*. Nonnunquam etiam significat, *propter*, talem aut talem causam, vt si quis dicat *πρὸς χάριν*, id est, ob vel propter gratiam facio: & sic *πρὸς τὸν πατέρα μου* esset idem ac si diceret, propter patrem, seu amore patris hinc confugiam in patriam. Conceptus nouus, sed non reiiciendus. Forte etiam melior; maxime si velimus Prodigum in pœnitentia non attititionem tantum, sed & contritionem habuisse. De quibus Deo iuuante tractabimus suo tempore, & hæc pro vero Prodigio, aut pro præsupposito.

Sed pro Gentilibus, qui eisdem vti possint verbis, dicam vobis quid sentiam. Audite, si surgit qui iacet, aut sedet, volens aut compulsus, erigens se in pedes, aut sursum scandens, cum esset inferior: Gentiles per hoc *Surgam*, vel *sursum erigam*, vel *assurgam*; dicere voluit: se dimittere terrenas, ac infimas quas habebant scientias, quæ terram non transcendunt, ac inde animum iam se velle eleuare ad conditorem, & rerum
caelestium

caelestium cōtemplationem, ac illuc affectus dirigere, quo recto corporis firu deducuntur. *Qua sursum Coloss. 3.*
ant sapite non qua super terram, qua sursum sunt querite
ubi Christus est in dexterâ Dei sedens.

Ouid. lib. 1. Fastorum.

Fœlices anima, quibus hac cognoscere primis,
Inq, domos superas scandere cura fuit.
Credibile est, illos pariter vitiisq, iocisq,
Altius humanis exseruisse caput. & paulo
post,
Admouere oculis distantia sidera nostris,
Atheraq, ingenio supposuere suo.

Psal. 7. *Posuerunt in cœlum os suum, & lingua eorum transiit in terra.*

Magnus ascensus à terra ad cœlum, à creaturis ad creatorem, surgam, dimittam pēdagogos istos, Lycaum, Academiam Platonis, (dicit quilibet ipsorum) Stoicam Zenonis porticum, fragrantes Epicuri hortos, omneque quas Philosophi ibi habuere scolas, templam etiam, tripodas, oracula? & ibo ad patrem, ac sum humilis Christi discipulus, & Ecclesiæ filius: cœp hic deliberare de Christianismo, ac fieri catechumenus, inquit magister noster Michael Baius. Tale quid sanctus egit Clemens, vt de se testatur, qui omnem lustrans humanam Philosophiam, nec ibi inueniens requiē (*Accedet homo ad cor altum & exaltabitur Deus*) quæsiuit de die in diem, vbi scientiam inuenire posset meliorem, & accessit Christianos, quos videbat operari miracula, inter se seruare charitatem, ac illa ratione ad ipsorum partes se recepit. Talis S. Iustinus martyr, talis S. Augustinus, ac alij centum. Illud ipsis fuit, *assurgere*, à Philosophia ad Theologiam, à Paganismo ad Christianismum ascendere. Omnis enim Philosophia, sicut & reliquæ scientiæ mundanæ, famulæ Theologiæ sunt, ac reliquæ etiam augustissimæ religiones, vel potius superstitiones, cum Christianismi maiestate comparatæ, nihil sunt. Philosophia humano ingenio ab hominibus addiscitur. Vera autem Theologia, & Christianismus, non ab homi-

Mich. Baius
Doct. Lo
uan. in M.
S. Clem. lib.
Recogn.
Psal. 63.

nibus tanquam inuentoribus docetur, sed à Deo, & filio eius Iesu Christo, Deo & homine: vel ab hominibus tanquam ministris & interpretibus. Quamuis enim Deus immediate erudiat, vel homines, vel Angeli, tanquam interpretes in nomine Domini. *Pro Christo enim legatione fungimur*, auditores tamen, aut lectores, nihil concipient, nihil intelligent, cæciores talpis, nisi Deus intellectum illuminet humanum, luce quadam & supernaturali gratia, quo ad intelligendum habiliterur. *In lumine tuo videbimus lumen. Qui habet clauem David aperit, & nemo claudit, &c. Quomodo possum intelligere Isaiam, si non aliquis stenderit mihi?*

*Psalm.
Apo. 3.
Act. 3.*

Dicebat Eunuchus Reginae Æthiopiae, Philipponi ex Septem uiris ab Apostolis institutis: quod enim scolæ tantum triuiales ac alphabeticæ sunt, comparatæ philosophicis, medicis, iuridicis, &c. Hoc, imo & multo minus, omnia sunt philosophica, & humana studia, cum Theologia comparata. Quomodo cūq; eas consideres, siue ex parte magistrorum & inuentorum, Theologia enim solum Deum agnoscit authorē, Philosophia homines, aut spiritus, forte tam bonos quam malos; *mea doctrina non est mea, sed cuius misit, me patris*, dicebat Dominus noster, de sua Theologia. Siue materiam spectes, & obiectum. Philosophia enim de rebus agit creatis, & pro maiori parte visibilibus ac sensibilibus; Theologia etiam de inuisibilibus, ac ipso Deo, horum & illorum creatore. Siue finem & effectus: Philosophia enim corpus tantum format, moresque ornat, & animam mortaliter in hac vita, non tamen ulterius perducit: Theologia in hac vita animam format, ac bene efformatos in æternam vitam transponit. *Notas mihi fecisti uiam uitæ (uitæ ueræ) nam ista que uidetur, mors est postea dicenda, quam uita.*

*D. Greg.
hom. 37. in
in Euang.*

Surgam, igitur dicere est, Christianus fiam. Aliter *surgam*: id est, dimittam auguria & diuinationes: nam illæ descripto in cælo templo, à sedentibus obseruabantur: quid aues garrirent, quid motu præsignarent

ent? *Et ibo ad patrem.* Ad Deum meum, illum scilicet qui sancta & iusta voluntate, omnia moderatur. Magnus ille Deus adeone insipiens est, ut auiculis potius secreta sua quam hominibus fidat? *ab aui-*
bus ibo ad patrem. Item *surgam* ex hac cathedra pestilentia, ex qua perniciosam docui idololatriam, aut cum Epicuro in voluptate summum esse bonum, aut vitia speciosis virtutum depinxi nominibus, virtutes contra nominibus vitiorum: super-
 biam & arrogantiam, magnanimitatem dixi ac fortitudinem, superstitionem religionem, iactantias & vanitates honestatem & curam status; & contra humilitatem dixi ignaviam, temperantiam scrupulositatem, &c. *Surgam* igitur ex hac cathedra, dimittam professionem tam impostoriam, & ibo ad patrem, ad scholas Christi ad Ecclesiam, ut ibi discipulum ac Catechumenus. Incipiam fieri ex mundi magistro (doctrinæ scilicet pestilentis, doctori noxiæ & auditori) scolaris cœli, & discam doctrinam salutis, *Scientiam Sanctorum.* Meum *a & ω.* *Beatus vir qui in cathedra pestilentia non sedet.* Hoc certe melius, quam
 facere quod Plato, qui postquam multa cum laude Athenis professus est, in Ægyptum se contulit, atque eam Italiæ partem, quam olim magnam appellarunt Græciam, inquirens Archytam Tarentinum, ut eius fieret discipulus.

Psal. 1.

D. Hieron. Ep. ad Paulinū de omnib. diu. hist. libb.]
Plato Ægyptum & Archytam Tarentinum, eamq; oram Italia, qua quondam magna Græcia dicebatur, laboriosissime peragravit, ut qui Athenis magister erat & potens, cuiusq; doctrinam Academia gymnasia personabant fieret, peregrinus atq; discipulus, malens aliena verecundè discere, quam sua impudenter ingerere.

Aliter *surgam*, id est, erigam me ex lutosa fœtidaque hac valle, ac peccatorum profundo, quo me partim sensualitas, partim Diabolus, partim patriæ malaque consuetudines præcipitarunt, & publica ac priuata exempla, partim etiam liberum meum arbitrium illuc aut me attraxit, aut recidere permisit,
Surgam,

Surgam, surgā, abstinēbo à malis verbis, dictis, factis, ab institutis patriis, à superstitione vtiq̄ accepta à maioribus, & ibo ad patrem. Accedam ad Deum non fide tantum, sed & affectu & charitate, & melioris vitæ instituto; accedam ad Deum, & Christum, morum similitudine, quantum possibile erit, & Christi vitam pro vitibus meis exprimam.

D. Augustinus tract. 40. in Ioan. circa initium.] *Accedere est credere: qui credit, accedit: qui negat, recedit. Non mouetur anima pedibus, sed affectionibus.*

Accedam ad Deum & Christum, *ibo ad patrem; patrem per similitudinem.* Dicimus enim etiam eleganter Latine *Accedere hoc ad illud pro simile, & equare esse illi, & cum datus (ut apud Cic.) Antonio Philippus proxime accedebat.* Sic dicimus, imago Veronicæ optime ad Christum accedit, Tabula S. Lucæ optime accedit ad B. Virginem, vel vita S. Iohannis Baptistæ accedit Eliæ, aut vita S. Pauli & S. Francisci accedit ad vitam Christi, id est, ita eam refert, vt vnam videns alteram quasi in ista conspiciat. *Qui vtramuis recte nouerit, ambas nouerit: non ita dissimili sunt argumenta.*

Terent. in prolo. Andr.

Viuo ego, iam non ego, viuit vero in me Christus, Glorificate, & portate Deum in corpore vestro.

Propter hunc accessum & similitudinem, olim Deo creati sumus. *Creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem, i. vt Deum representaremus actionibus nostris quasi lineamentis.* Et reuera si S. Ambrosius alique recte dixerint, regionem illam longinquam, quo Prodigus à patre recesserat, *Regionem dissimilitudinis, difformitatem scilicet vię: errare non possumus appellantes eius reditum ad patrem, conformitatem vitæ, & imitationem paternæ perfectionis.*

Vide harum Conc. part. 1.

Rom. 8.] *Quos præsciuit & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui.*

O gloriosam deliberationem, dicere, *ibo ad patrem, accedam ad Deum, ad Christum.* Vitam eius in me studebo transformare, sicut Iesuita in verbis, Iesuita in victu, Iesuita in incessu, Iesuita in habitu, Iesuita dormiens, Iesuita vigilans, breuiter Iesuita in omnibus.

Similis

similis ero altissimo. Sed eheu quam longe ab hoc proposito imitandi Christum absumus; cum tamen in ea tota nostra deberet esse vita; imitatio Christi in omnibus scripturis est, in libris, vel Gersonis, vel Kempis, in imaginibus etiam pulchre apud nos delineata: nulla tamen pars in vitæ ac morum similitudine. *Glorificate & portate Deum in corpore vestro.* Nam nunc quidem non tam accedimus quam recedimus, loco similitudinis Dei & Christi, quæ in singulis nostrum inquam in claro speculo deberet elucere, sicut in primitiua Ecclesia, ubi quam primum quis Christianum conspexisset, dicere poterat, se paruum videre Deum, aut paruum Christum; ut olim Cyneas, tot videbatur Romæ sibi videre Reges, quot Senatores. (*Quotq; aderant vates, rebar adesse Deos.*) Nos similitudinem gerimus Satanæ, & Mahumetis, & nihil penes sumus aliud quam baptisati Turcæ, adeo Satanicè adeo Turcicè pro dolor viuimus. *Mutauerunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum.*

*Plutarch.
tom. 2. vit.
in Pyrrho.
Ouid.*

I I.

Quomodo conueniant publicanis tempore Christi, & generatim peccatoribus omnibus.

PRO publicanis nostris, *surgam*, optime exprimit priorem statum, & nouum propositum S. Matthæi, ac similiarum hominum. Officium enim ipsius erat admodum sedentarium. Publicani enim & Telonarij fere sedebant ad portas urbium, ad portus, ad telonium, aut in medio ciuitatis, & vicis, ut reciperent vel merces in specie, vel tributa pro iis pecuniaria, iuxta Romanorum Imperatorum beneplacita. Quamuis famulos haberent verisimiliter qui explorabant, obseruabant, auriti ut Midæ, quis intraret, quis exiret, quid efferreretur, quid inferretur: ne quis euaderet nisi relicta domino ipsorum aut penna, aut ala: ita res geruntur in mundo. Qui S. Matthæum ac similes manequærit, eat ad Telonium, ibi proculdubio sedentem inueniet:

inueniet: qui eum sub prandio, post prandium, ser-
 ue quærit vespera, adeat telonium ipsius, ibi procul-
 dubio inueniet sedentem, versantem argentum
 computantem iterum & iterum, data & accepto
 assidente notario à dextris, & sinistris: sic sepe
 inuenitur sedens quasi compeditus & clauatus in lo-
 de, vt statua quædam Minois, alteriusque in throno
 Iudicis, in aula iudiciaria. Vita dominorum istorum
 qui auro student, non minus sedentaria est, quam

**Fuit hoc l. Richij mei in Italiam nuper comitis commo- dissimi, cha- racteristicô.*

nostra, qui studemus litteris. Sed nos **dicitur molli-*
 ra quærimus. Talis igitur rerum ipsius erat status, ac
 proinde cum eum mutare vult, optime dicit, *surgam*
 non sedebo ultra in telonio, tam odioso, tam solici-
 to, tam periculoso; odioso dico plebi & mercatori-
 bus: non enim vident libenter lustrari, inspicere, inuet-
 ti, decimari merces suas. Sollicito dico, Publicanis:

illi enim nihil sine decimis dimittere volût, vt Regijs
 rationibus, & priuatis rebus, & seruis omnia submi-
 nistrant: & mercatores nonnunquam contra labo-
 rant, occultare, celare, mentiri, fraudare, non minus
 quam illi perscrutari, & depulsumare; coriphæi aduigi-
 lant, vt eos deferant, vt male multentur, si non latis
 rebus attendant. Periculoso dico animabus: diffici-
 le enim est aut Cæsari aut mercatoribus non facere
 iniuriam, excessu vel defectu, nimium aut nimis pa-
 rum postulâdo, pro male subductis calculationibus.
 Difficillimum est duobus seruire Dominis, Deo &
 & Mammonæ, terræ simul & cæli quærere dominum,
 recte curare animam, & corpus non negligere, nec
 mundum, *Vno credis equo posse sedere duos?*

Surgam igitur, dimittam sedem, & omnia hæc, O-
 ceanum curarum. *Ibo ad patrem*, sequar Christum, il-
 lum auscultabo, sub ipso, cum ipso, posthac cogita-
 bo de salute, spem meam in ipsum collocabo, sedebo
 ad pedes eius bonus auditor, sicut ante sedi ad locu-
 los magnus exactor.

Surgam, id est, abiiciam magnas terrenarum re-
 rum sollicitudines, *ibo ad patrem*, nihil amaturus nisi
 Deum, nihil cogitaturus nisi cœlestia.

Surgam,

DE POENITENTIA PRODIGI. 383

Surgam, dimittam legis Mosaicæ obscuritatem, & *ibo ad patrem*, ad Christum Iesum, ut in luce eius exultem, & videam radios fulgidos solis Euangelij ipsius, *Nox recessit, dies autem appropinquavit. Dies est surgam.*

Surgam, exiliam de lecto, & litteræ cauernis, & *ibo ad patrem*, ad Christum, qui verum mihi ostēdet spiritum & sensum, medullam & corculum eius: confribo spicas intra manus, & excussis paleis, delitescens intus me pascet frumento.

Littera non prodest quicquam, spiritus est qui vivificat.

D. Hieron.] *Non enim putemus in verbis scripturarum esse Euangelium, sed sensu.*

Non in superficie, sed in medulla est pastus animorum.

Non in sermonum foliis, sed in radice rationis.

Est arborum rodere cortices, litteram tantum intelligere, & verba, non quod per illa significatur: in posterum vivere volō ipsa suauissima medulla, quam mihi inde eliciet magnus ille magister Iesus Christus Nazarenus. Dimittam ex nūc Scribas inflatos, qui si quis me pascunt, nec tantum quidem dant, quantum opto, ex parte tantum instituunt: ibo ad verum doctorem Iesum, qui solide me reficiet, & liberaliter, panibus verē intelligentiæ, mysteriorum legis Mosaicæ, & insuper nouam suam addet doctrinam.

Surgam, ex illa cordis abiectioe, in qua Scribæ & Pharisæi me detinent, ut sufficiat mihi ipsis esse similem, & per hypocrisim apparere quod nō sum, non apparere quod sum. Ibo ad patrem, ad Christum, qui omnem hanc fictionem damnat & docet magis esse bonum, quam videri: qui non habet in ore, multo minus in opere Pharisæicum istud, *si nō castè, saltē cautè. Sed castè & cautè. Sic clam ut palam; & fama est & erant.* Castè pro ipso opere, cautè ut omnis etiam mali species, malæque suspitionis materia tollatur: sic intra parietes ut in foro, respondere famæ, nec aliud dici aliud esse. Bonus enim ille pater, tam longe à simulationibus

lationibus & Pharisæa hypocrisis abest, qui bona opera sua tuba buccinant, facta & infecta, ut Deum etiam orari velit clausis ianuis & in a dextera elemosinam, ut sinistra ignoret, & pauperem nesciat.

Surgam, cessabo deuorare miseros. *Comederunt lecob: & dabo ad patrem*, restitucens quæ fraudauit, & ultra

Equi Dio.

mede quid.

An Zache-

us prior con-

uersus quari

possit.

donans dimidium bonorum meorum pauperibus, ut Zacheus, aut dans pauperibus quicquid habeo, ut perfecti fecerunt, & Apostoli: aut feram ad pedes Apostolorum, ut inde in communi viuatur, ut plura Hierosolymis Christiani, & multo ante illos Pythagorici.

Luc. 19.] Domine dimidium bonorum meorum dabo pauperibus, & si quem fraudauit, reddo quadruplum.

Matth. 19.] Si vis perfectus esse, vade vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in celo, & veni sequere me.

Act. 2.] Omnes qui credebant, erant pariter & habebant omnia communia, possessiones & substantias vendebant & diuidebant illa omnibus, prout cuique opus erat.

Act. 4.] Gratia magna erat in omnibus illis: inque enim quisquam egens erat inter illos. Quot quot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum. Diuidebatur autem singulis prout cuique opus erat.

Aul. Gell. in fine de Cœnobio Pythag.

* *Recurrere ad scholia huius loci.*

A. Gell. lib. 1. noct. Art. c. 9.] Sed id quoque non prætereundum est, quod omnes simul qui à Pythagora in coortem illam disciplinarum recepti erant, quod quisque familia pecuniaque habebant, in medium dabant. Et coibat societas inseparabilis, tanquam illud fuerit antiquum consuetum quod in re atque verbo Romano appellabatur Koinon.

Sed de publicanis dictum satis. Videamus an possimus etiam accommodare peccatoribus in genere.

Surgam igitur dicet quilibet eorum. *Surgam*: iacebas igitur, ac dormiebas? imo vero, dilectissimi, iacet peccatores, & altum stertunt, *Exurge qui dormis* & illuminabit te Christus.

Ephes. 5.

Hort

Hora est nos iam de somno surgere.

Mat. h. 9] *Puella surge.*

Luc. 7.] *Adolescens tibi dico surge.*

iacebant dico ioporati, somno plane lethargico, simillimo morti.

Surgam. C. c. idas igitur, erasque lapsus? Imo vero, peccata enim relapsus sunt ex gratia in iram, & Dei indignationem; ex gloria in pœnam, ex cœlo in infernum. Cadimus sæpe, Diabolus & mundus sæpe nos sternunt, *Septies in die cadit iustus. Lapsus Ada, casus Adamicimus.*

Surgam, ergo iacebas extentus, et si forte non dormires? mo, dilectissimi, peccatorum iacere, iustorum stare, ait S. Hieronymus. S. Hieron. ad Damasum.

Qui stat videat ne cadat. Demersi enim sunt in fœces usque ad aures. *Infixus sum in limo profundi, & non est substantia: veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* Alij illuc se ipsos præcipitarunt, alij tempestate illuc iactati sunt, persecutionum scilicet, & tentationum violentia.

Surgam de ruina peccati, inquit Theophylactus; *ex-cutere de pulvere, surge, &c.* inquit Propheta. *Ve va tenaris meis, in quibus aliquando iacui,* inquit Augustinus, in Meditationib. Porrecti sunt in cœno ac cloaca, ob culpæ foetorem: inter spinas, propter remorsus conscientia: inter plumas & rosas, propter voluptates peccato admittas. Isaia 52.

Mollibus in plumis Caius ecce iacet.

Surgam igitur, per pœnitentiam, dimittam sordes, materiam remorsuum, voluptates meas amarodulces, procul procul, sursum sursum ex tam longa accusatione, ex tam malo situ.

Surgo sedens, exurgo iacens, à morte resurgo.

Surgam, expediam, exiliam ex his calamitatibus, labo operam ut in posterum mihi sit melius, reuera nimis miserrimum est peccatis esse obnoxium: nihilque arbitror posse venire peius, quam esse in peccato. Etiam si infernus magnum malum est, hoc tamē habet boni, quod ad normam iustitiæ peccata castiget,

Bb & distorta

Genes. 1.

& distorta emendet. Si Diabolus malus est, est per accidens: nam natura bonus est Deus enim fecit ipsum, & vidit Deus cuncta qua fecerat, & erant valde bona.

D. August. lib. 19. ciuit. c. 13.] *Diaboli natura in quantum natura est, mala non est.*

*D. August.
lib. Confess.*

Peccatum autem ex nulla parte bonum est: testatur hoc Deus, quia authorem Luciferi, creatorem inferni, dici se sinuit: parasse igne Diabolo, & Angelis. Catholice tamen dici non potest habere peccatum, aut author esse peccati, quod mali committunt homines, aut Angeli. *Sine ipso factum est nihil hoc est peccatum*, inquit Augustinus. Testimonio etiam est, quod Deus venerit in carne ut peccata & Diaboli opera destrueret, non ut infernum ipsumque Diabolum.

Iohannis tertio.] *In hoc apparuit filius Dei ut solueret opera Diaboli. Surgam igitur ex calamitosissima peccati sorte.*

Surgam, faciam me rectum ex distorto, & turpitudinem quam ex tortuositate contraxi, per rectitudinem naturæ & gratiæ emendabo. Abolebo difformitatem, qua me in varias formas, ut Protheum aliquis defiguravi à prima figura. Ita diffectus, ita varie coloribus, tot adulterinis coloribus, quot maculatus peccatis. Hanc exterminabo difformitatem, & ibo ad patrem, ibi mutabor in pulchritudinem pristinam, factus rectus, & iustus, factus perfectus sicut pater meus celestis. *Ibo ad patrem*, accedam ad Deum, ut ibi ad perpendiculariculum & libellam dirigar.

Peccator igitur distortus est, deformatus est, curuus, flexuosus? imo vero dilectissimi, prohi ut linearecti sunt, non flexi, non curui, non declinantes ad dexteram vel sinistram. *Creauit Deus hominem rectum* dicitur de Adam, ac Iob, ac similes dicuntur recti.

Iob 1.] *Erat vir in terra Huius nomine Iob & erat vir ille simplex & rectus ac timens Deum & recedens à malo.*

Iob 4.] *Quando recti deleti sunt?*

Psal.

Pfal. 24.] *Innocentes ac recti adhaeserunt mihi.*

Pfal. III.] *Generatio rectorum benedicetur.*

Cant. 1.] *Recti diligunt te.* Recti sumus, cum iustificata est anima nostra ad perpendicularum mandatorū Dei, sicut paries dicitur rectus, quando ad libellam fabri æquatur. *Ad omnia mandata tua dirigebar.* Distorti vero sumus cum præuaricamur. Natium viuumque seruamus colorem, quando Deo & Christo conformiter viuimus, & quam diu imago eius & viuum sumus exemplum, per mores bonos; deflexi, incurui sumus, cum aliud quam præcepit facimus. Et sicut nomina recta appellantur, quando in primo suo manent casu; inflexa, quando declinantur, induuntque casum genitiui, datiui, aut alium (quod trium dierum Grammatici callēt ad vnguem) sic recti, iusti probique dicuntur homines, quam diu manent tales, quales à Deo creati sunt, aut per baptismi gratiam fuerunt reformati: torti autem sunt ac deformati, quando ab ista forma declinant, & in peccata diuersa incidunt. Sumus in recto, & bene viuimus sub Dei lege, ac Ecclesie, vt & noster Prodigus, quam diu patri obediens man sit in ædibus. Sed plane curui, & obliqui incedimus, quam primum à Deo & Ecclesia declinamus: sicut hic Prodigus, ex paterna domo egressus.

Primo, genitiuus, aut peccatum carnis nos egregie curuat, & defigurat, tam corpore quam animo, *qui fornicatur, in corpus suum peccat.*

O curua in terras anima, & celestium inanes!

Dein Datiuus, prodigalitatē in cōuiuia, in vestes, in pompas. Fomites ac nutrimenta genitiui (*sine Cerebri Baccho friget Venus. Augusto Caesaris sensu, vestium pompa, nidus luxuria.*)

Sueto in August.

In adultores, in parasitos, in scorta, in meretrices, in ædificia, &c.

Rectitudo & pulchritudo Prodigii plurimum per genitiuum, & datiuum, corruptæ sunt. *Dissipauit substantiam suam viuendo luxuriose.*

Tertio: quando quis diffamatū se videt, maxime rumorib. genitiui, statim deformat se vterius, lapsus in

Accusatiuum, id est, accusare incipit meretrices, quasi infecerint & attraxerint ipsum, vt Eua Adamum: iam beneficia, iam mala accusantur cōsortia, iam parentum indulgentia, quasi quæ debebant non castigauerint, quasi libertatis nimium indulerint, media subministrant; imo cœlum aliquando accusatur, blasphematur Deus, quasi ad hoc vel illud vitium nimium inclinauerit. Sicut Adam dicens, *mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno & comedi.*

Non tangit tamen Accusatiuum meliorem, accusatorem sui; *Iustus in principio sermonis accusator est sui.*

Terent. in

Adolph.

Act. 2. Scen.

1. Leno sum

fator, per-

nicies com-

munis ado-

lescens ium:

Periurus,

pestis.

Hinc non sufficit ipsi ita esse deformatam, sed locietatem quærit, vt egregie suam salter tragædium, & sic labitur in Vocatiuum, id est, inuitat & alios ad eadem peccata, hortatur exemplis, scandalo: quales sunt lenones, & lenæ, dicentes. *Venite fruiamur bonis que sunt in iuuentute celesiter, antequam nos pretereant finis temporis. Venite insidiamur sanguini.*

Venite mittamus lignum in pariem eius. inficiamus & illum.

Psal. 82.] Venite & disperdamus eum de genti, & non memoretur nomen Israel ultra.

Genes. 1.] Venit: faciamus nobis ciui: a'em, & turrim cuius culmen pertingat ad cœlum, & celebremus nomen nostrum.

Muniamus nos & roboremus contra Principem, clamemus, flagitemus stipendia, excitemus munimenta, opprimamus hos illos, vt nobis seruiant ad arbitrium.

Exodi primo.] Ecce populus filiorum Israel multus, & fortior nobis est. Venite sapienter opprimamus eum, & forte multiplicetur: & si ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis nostris, expugnatisque nobis egredietur de terra.

Gen. 37.] Ecce somniator venit, venite occidamus eum & mittamus in cisternam veterem, dicamusque fera pessima deuorauit eum.

O quam tortuosi instar serpentum sunt homines, quam declinati per istum vocatiuum, per corruptelam

am malorum consiliatorum, per mala exempla, & quam in ultos non minus quam se ipsos corpore & anima deformant. O quot lapides molares essent necessarii, vt ligati ex collo scandalosorum, cum illis mererentur in profundum maris rubri, & torrentem ignis. Ah dilectissimi, nonne satis & plus satis est. incuruasse, deflexisse, defigurasse nos ipsos? Si igitur aliquando accidat aut infortunio, aut malitia (quod prohibeat Deus) vt cadamus; caueamus saltem insuper infelici vocatio inuitare ac impellere alios, ac in eandem trudere malitiam. Notate lenones & lenæ, ac productrices & conciliatores spurciæ, ipsæ damnatis vultis fieri peiores. Epulo nunquid reuinit cere desiderabat, vt moneret fratres, cauerent sibi à peccatis, & incendiis: & nos alios in flammis, & peccata nobiscum pertrahimus? Apage procul cum isto vocatio, & meliorem substituamus in locum, quo ad bene viuendum vocentur. Dicamus alter alteri.

Isaie. 2.] *Venite, & ascendamus ad montem Domini, & docebit nos vias suas.*

Eamus ad Ecclesiam, ad concionem, ibi cognoscamus semitam Domini.

Psal. 94.] *Venite, & procidamus ante Deum, ploremus curam Domino, qui fecit nos.*

Psal. 94.] *Venite, exultemus Domino, praoccupemus faciem eius in confessione tara laudum quam peccatorum.*

Psal. 33.] *Venite filij audite me, timorem Domini docebo vos.*

Psal. 45.] *Venite & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram, auferens bella usque ad finem terra.*

Factum hoc in nostris regionibus, ablata sunt bella Gallica, Flandrica, Hollandica, opera tanto magis prodigiosa, quanto per viliora facta sunt instrumenta, per abiectissimos S. Francisci filios. Videte quibus vti debeamus vocatiuis, loco pessimi illius, quo alij in mala nostra conuocantur.

Donet Deus optimus ne multi contra faciant, ac

Bb 3 tandem

randem per Ablatium etiam inflectantur; ubi scilicet sua decoxerint, ac prodegerint, aliena rapiant. Raptor qui sua abliguriuit, ad aliena respicit, & a singulari numero, vel ad Græcum dualem, vel ad Latinum pluralem delabitur, id est, peccata peccati ut arenam cumulat, stellasque cœli innumerabiles.

Surgam igitur, inquit, dirigam totum, rectumque faciam, quicquid obliquum, quicquid curuum est in vita. *Surgam* ex infimarum rerum amore, a creatoris & *ibo ad patrem*, amorem & affectum in cœlum, in æterna, in Deum transferam.

Surgam detestando terrena, & appetendo cœlestia, inquit S. Antonius noster de Padua. *Surgam*, deseram peccata ut inchoem iustitiam, & *ibo ad patrem*, ut fiam perfectus. *Surgam & ibo* nō complicatis manibus, nihil agens, non subsistam otiosus, rarus stolidus fatuus esse non peccare: non stabo, sed *ibo ad patrem* affectu & effectu, bonis scilicet operibus. Sicut Deus non deseritur corporis pedibus, non curru, non equo, non alis, sed mala voluntate & sceleratis operibus sic rursus ad eum acceditur bono affectu, intima deuotione, & operibus virtutum.

D. Augustin. tract. 48. in Ioan.] *Non mouetur anima pedibus, sed affectibus. Ibo ad patrem.*

Fidei & amoris pedibus; credens in eum, & amans, quantum potero. Ibo per pœnitentiæ opera, per contritionem, & displicentiam peccati, per confessionem, per satisfactionem eiusdem; bonus mihi affectus, addens deuotio, & quæ inde surgunt opera, mihi gressus erunt, currus, nauis equus, alæ quibus ad patrem inuehar. Omnia hæc mihi quadrigæ igneæ Helix fient, erunt mihi scala Iacob qua ascendam. Oratores magni nonnunquam à proposito artificiose digrediantur, & redeunt quando reuertuntur ad institutum. Ego vero peccator miser, tantum à bene viuendi proposito aberravi, non ut illi cum laude, sed cum infamia: nescio quibus anfractibus, quibus flexibus digressus à salutis scopo mihi proposito, nescio qua viuendi ratione:

DE POENITENTIA PRODIGI. 391

atione: iam autem in primum recurram finem, ad
 primum salutis propositum, *ibo ad patrem*, ad Deum
 meum. Quo possum melius: omnia enim naturaliter
 ad suum currunt principium, ad locum proprium, ad
 centrum. *Ad locum vnde flumina exeunt reuertuntur, ut
 iterum fluant.* Sol per antipodas circulum suum de
 currens, iterum ad Orientem reuertitur. *Oritur Sol &
 occidit, & ad locum suum reuertitur: ibi q̄s renascens, gyrat
 per meridiem, & flectitur ad Aquilonem, lustrans uniuersum
 in circuitu pergit spiritus, & in circulos suos reuertitur.*
 Pisces suspirant ad aquas, talpæ ad terram, noster i-
 gnis sursum fertur ad elementarem, lapis contra ex
 diametro ad centrum.

Arist phys.

Eccles. i.

Omnia libenter ad terminum & finem, cuius gra-
 tia sunt, tendunt. Materia formam appetit, propter
 quam est, fœmina virum tanquam creationis suæ
 principium *& ad virum conuersio tua.* Deus autē prin-
 cipium nostrum est, per creationem, *ipsius enim genus
 sumus.* Deus forma nostra est & prototypon, *creauit
 Deus hominem ad imaginem suam, ut eam repræsentet,*
 moribus, innocentia, iustitia.

Genes. i.

August. lib.

i. Confess. c.

i.

Deus finis noster est: nam per ipsum & propter i-
 psum sunt omnia. *Fecisti nos Domine ad te,* dicit S. Au-
 gustinus. Quicquid igitur hic infra videmus, quic-
 quid miramur, nullibi subsistendum, procedendum
 vltcrius, ac dicendum cum Carolo Quinto *Plus outre:*
 donec tandem ad Deum, qui finis noster est, pertin-
 gamus. *Surgam, & ibo ad patrem.*

Plato i. de leg.] *Naturale est homini, ut ad originem
 suam semper anhelet.*

D. Tho. 2. 2. q. 175. art. 1. ad 2.] *Ad modum & dignita-
 tem hominis pertinet, quod ad diuina eleuetur, ex hoc ipso
 quod homo factus est ad imaginem Dei.*

D. August. lib. i. conf. c. i.] *Inquietum est cor nostrum,
 donec requiescat in te.*

Surgam & ibo ad patrem. Procedam vltcrius, ascen-
 dam semper. Nonne vt nos eodem surgere faciat, ac
 excitet, vbi Deus residet, qui corpus nobis dedit pyra-
 midale, erectum in cœlum, vnde Græce *Αΰρηωνος*, i.

Lactant. lib.
2. Inst. 6. 1.

respicientes in altum appellamur; in quorum corpore tāquam in optimo receptaculo, Prometheus igniculos & flammās diuinās, id est, animas, includit; quæ semper cœlum repetunt, in alta, sicut ignis, recurrunt?

Exod. 3.
Philip. 3.

Nonne ideo etiam, magnum illud cœli expansum adeo variegatum est, tentorium tam belle compactum, tot aureis clauis, tot exornatum Pauonum oculis, tam pulchro ordine ac discursu, ut ibi harmonia sit maior quam Orlandina, mirabilior quam in terra? Quorsum hæc nisi ut suspiceremus cœlum, & illuc dirigeremus corda, ut diceremus, faceremus, quod fecit Prodigus *Surgam, & ibo ad Patrem; surgam, & videbo visionem hanc magnam*: ut nostra conuersatio in cœlis sit. Interim ô dedecus! semper nasum terræ mergimus. *O curua in terras anima, & cœlestium inanes.*

Nunquam dicimus, *surgam & ibo ad patrem*: minus etiam ad eum euolamus, qui tot funiculis, & ipsa figuræ nostræ specie, in altum nos trahit. *Oculos suos statuerunt declinare in terram.*

Lactant. lib. 2. instit. c. 1.] *Est autem prauissimum cum ratio corporis recta sit, quod est temporale: ipsum vero animam, qui est æternus, humilem fieri: cum figura & statu nihil aliud significant, nisi mentem hominis eo spectare oportere, quo vultum: & animum tam rectum esse debere, quam corpus, ne id cui dominari debet, imitetur.*

Idem lib. 3. instit. c. 9.] *Non ideo nascimur, ut ea quæ sunt facta videamus, sed ut omnium rerum factorem contemplemur, id est, mente cernamus.*

Aristor. 10. Ethic. contra Simonidem.] *Homo debet se ad diuina & immortalia trahere, quantum potest.*

Ad Patrem, ad Patrem, omnium creatorem tendendum est. Sed notate obsecro, & miramini mecum commodissimas illas meraphoras, ad designandum peccatoris statum, & pulchrum quo procedit ordinem. *Surgam*, dicit primo: dein *ibo. Surgam*, resuscitabor, reuiuiscam, per Dei gratiam & liberi arbitrij concursus: & dein *ibo*. Sicut enim viuendum est antequam ambulati

ambulari possit, sic etiam dimittendum est peccatum, antequam opera meritoria possint exerceri; purgandi noxij humores, antequam bene dispententur nutrimenta.

O quam bene illud *surgam* peccatoribus est proprium: si enim *surgam* dicit qui cecidit, qui iacet proprie, vt S. Paulus vadens in Damascum (*surrexit autem Saulus de terra*) proprie etiam dicit ille, qui Deum offendit. Peccatum enim lapsus est, vnde & sic à Latinis dicitur, & Summistæ *casus* dicunt *conscientiæ*; qui sit *videat ne cadat*.

Act. 9.

Proverb. 24] *Septies in die cadit iustus.*

Psal. 126.

Si *surgam* dicit qui sedet: *surgite postquam sederitis*. Proprie etiam illud dicit, qui in peccato est: omnis enim peccator sedet, nihil boni agens. Status peccatoris plane otiosus est, & sedentarius: quia in peccato mortali nihil exercetur meritorij operis, quamuis in isto statu nec ad momentum temporis placide requiescat.

Si *surgam*, dicat is proprie qui inferior est: optime etiam dicit illud peccator quo nihil est inferius. Sicut enim vir iustus, homo est hominibus celsior, & proficientes *intra hominem* agunt: sic quorum vita, vt nostri Prodigi, profligata ac prostrata est, *infra homines* sunt: deteriores etiam bestiis, quæ nihil tale, nisi per naturam aut necessitatem agunt: homines autem contra naturam, & ex malitia. Quid? nonne inferus factus est, qui vsque ad portas inferni descendit?

Paulo minus habitasset in inferno anima mea.

Psal.] *Descendunt in infernum viuentes.*

Improborum pes alter in cymba Charontis.

Psal. 55.

Si *surgam* proprie dicat, qui dormit, aut decumbit: non minus proprie dicitur ab eo qui est in peccato: quid enim peccatum nisi somnus? Nonne grauius soporatus est cui omnes sopiuntur & ligantur sensus? qui lucem non videt, qui strepitum non audit, qui non sentit quo feratur. Peccator autem sensum & intellectum perdidit, cum nihil videat saluti necessarium, sopita & absorpta est voluntas; cum nihil diuinum

velit. Memoria ligata; quia nec præmia, nec minas, nec flammæ æternas recordatur. Surda tantum aure pulsam audit pœnitentiæ, & diuinæ clangorem tubæ: nec sentit viuum se à diabolis inferre gehennæ.

Videtur sibi adeo cubare mollior, vt non magis se moueat quam plumbum in plumis: nec excitari possit nisi maximo labore, ac variis machinamentis. *Dedit me Dominus in manu de qua non potero surgere: re-*cidit, relabitur in lectum: tanquam in nidulum, vt in cardine versatur ianua, vt piscis in aqua.

Thren. 1.

Iob 9.

Si forte exurgat, hoc seruum est. *In nouissimo die de terra surrecturus sum.* Tum scilicet, quando tempus accubandi est in æterna requie: sicut illi qui cum tota luce steterint, nocte laborant, ac præpostere noctem *verterunt in diem.* Dormit igitur peccator, & quando tractat de pœnitentiâ proprie dicit, *surgam & ibo.*

Harum duarum actionum coniunctio *surgam, scilicet & ibo*, optime duas partes demonstrat iustitiæ, quæ in vero pœnitente inueniri debent. Nam per *surgam*, indicat omittenda esse mala, per *ibo* facienda esse bona.

Declina à malo, & fac bonum.

Isai.] *Qui scite agere peruerse, discite bene facere.*

Jerem. 18.] *Reuertatur unusquisque à via sua mala: & dirigite vias vestras & studia vestra.*

Exuite veterem hominem ac nouum induite.

Matth. 3.] *Agite fructus dignos pœnitentiæ.* *Fructus inquit propter bona opera: pœnitentiâ propter discessionem à malis.*

D. Greg. hom. 13. in Euang.] *Redemptori etenim nostro unum sine altero placere nequaquam potest: si aut is qui bona agit, adhuc luxuria inquinamenta non deserit: aut is qui castitate præeminet, necdum se per bona opera exercet, nec castitas ergo magna est sine bono opere: nec bonum opus est aliquid sine castitate.*

Sicut serpens exuta pelle veteri nõ nudus remanet, sed nouam induit, sic etiam vetus noster homo exutus peccatis, induendus est nouo habitu sanctitatis & iustitiæ.

iustitiæ. Quod Deus sub lege Mosaica, in templi ser-
 uitiâ nō admiserit claudos & defectuosos, quid signi-
 ficat, nisi displicere sibi hominem, qui alteram tantū
 iustitiæ habet partem, quarum vna sine altera grata
 esse non potest? Christus Iesus præcursores suos misit
 binos & binos, ante faciem suam, in omnem ciuitatem &
 locum, quo erat ipse venturus. Deus petit duos sibi of-
 ferti turtures, aut pullos columbarum in purificatio-
 nem uuluerum; duos uoluit matrimonio coniugi ad-
 producendum tertium: erunt duo in carne una genera-
 ta. Sic etiam uoluit fugam uicij, & prosecutionē bo-
 ni, simul & æquali passu incedere, ad perfectam pro-
 ducendam iustitiâ. Ordine etiam illo præmittens
 sergam, deinde addens *ibo*, pulchre indicat ab vtra iu-
 stitiæ parte inchoanda sit pœnitentia, à fuga scilicet
 peccati, tâquam magis necessaria. Sicut enim vulnus
 inflictum, à Chirurgo ante omnia curandum est, ex-
 trahendum ferrum, eluendum pus & sanguis emor-
 tuus, crebra infusione vini, ut Samaritanus ei fecit
 qui inciderat in latrones. Deinde instillanda un-
 guenta, oleum, cataplasmata, & obligandum: sic
 etiam prius auerruncanda sunt peccata, & occasio-
 nes, deinde ædificandæ virtutes. *Is qui vita sua est arbi-
 ter constitutus, non potest vitam nouam inchoare, nisi eum
 pœniteat vita ueteris*, inquit S. August. lib. de pœnitentia.

Nonne prius putantur vineæ, præciduntur inuti-
 les palmites, antequam fructificent? Nonne prius e-
 lapidatur campus, eradicantur zizania, exuruntur lo-
 lia, foditur hortus, antequam bona inserantur semi-
 na, & plantentur herbæ? Sic primum pœnitentis o-
 pus ualedicere peccato, aut saltem hoc proponere.
 Atque ideo bene quidam sanctus Cōfessarius, si pœ-
 nitens interrogatus uirum à peccato uelit abstinere,
 atq; ipse neget, non est absoluendus. De peccatis dico
 mortalibus, non quod credere debeat nunquam se in
 peccatum ullum mortale relapsurum: hoc enim su-
 perbiam quandam saperet, contrariam humilitati:
 sed debet uelle solícite illa cauere. Quâ igitur miseri
 sunt maleque consulti, qui cum uiciscendi animo ad
 confes-

*B. Vincen-
 tius hic,*

confessionem accedunt, vindicaturi iniuriam aut verberibus aut contumeliis, &c. Ac illi etiam qui propositum habent data occasione hanc aut illam explendi voluptatem: aut qui propositum nondum depulerunt, faciendi quidcunque Rex, amicus, aut scemina imperet, etiãsi mortale, & plus quam mortale sit. Mala igitur omittenda sunt, aut saltem propositum tale faciendum, antequam de iustitia per bona opera cogitari possit; & videri posset Deo gravior esse homo, qui nec boni quicquam agit, nec mali: quam is qui boni aliquid agit, & malum interim non deserit, ac mortalis peccati voluntatem. Si enim prior non omnino Deo placet, non irritat saltem eum ut alter, singulis momentis.

*Sus de sorde leuat, saltẽ dum colligit esus,
Cur nunquam surgas sorde volutus homo?*

III.

Quomodo optimè quadret in Hugenos: quomodo Papa Romanus vere vniuersalis pater sit; cum bona precatione.

Sed satis de peccatoribus: accommodemus hæreticis. Illud *surgam* igitur, & *ibo ad patrem*, verba sunt hæretici qui abdicare hæresin, & ad Ecclesiæ Romanæ sinum & amplexum reuerti statuit: ut peregrinus, qui cum multo tempore à via aberrauit, & lectatus de via, relegit viam, & in illam reuertitur quam dimiserat. *Surgam*, credam inquit, quæ hæcenus discredidi, & abiurabo hæresin. *Surgam* ex hac cathedra pestilentia, in qua sedi doctor erroris. *Beatus vir qui in cathedra pestilentia non sedixit. Et ibo ad patrem.*

Psal. I.

Ad Papam Romanum, petitum veniam, sollicitum ut in domum Ecclesiæ admittar, ac in posterum inter bonos Catholicos annumerer. *Ibo ad patrem*, confugiam ad Papam; optime. *Surgam & ibo ad patrem.* Non sufficit bona credere, nisi etiam redeatur ad Ecclesiæ

unionem, nisi per claves Papæ, mediate vel immediate, Christi ouile aperiatur, aut arca Noe ad euadendam diluuium. Fac, inquit S. Athanasius, tot confessiones quot voles, nunquam tranquillitatem conserueris conscientie, nisi dicas cum filiis Israel *adeamus ad patres nostros, & cognoscamus te, npla quæ ædificauimus, fuisse vera idola, ac idolorum receptacula.* Maxime cum Christus Iesus, pater noster, Ecclesiam sponsam suam veram, constituerit matrem: si velimus inuenire requiem, recipere nos debemus in domum Dei, in Ecclesiam Catholicam, vt ibi reconciliemur matri si veli nus gratiam inuenire à patre.

D. Cyprian. de simplicitate Prælatorum.] *Non habebit Deum patrem, qui non habet Ecclesiam matrem.*

Hilarus.] *Peccator qui audierit ex Euangelio Matth. 16. & Ioan. 20. Ecclesia datam facultatem ligandi & soluendi, tenendi & remittendi peccata, intelligat sibi ad Ecclesiam veniendum, & per Ecclesiam ad Deum & regnũ celorum tanquam si peccatori dicatur, quod Paulo dictum est, vade in ciuitatem, illic dicetur tibi quid te oporteat facere.*

Ibo ad patrem, ad Papam Romanum. Videte vt se incommodet, quam benigne det veniam, vere Papa Romanus pater est: siue potentiam spectes, siue pietatem, & bonitatem, siue doctrinam, siue annos, & antiquitatem. Pater est per potentiam; etiam ideo quia Sacerdos est. Nam etiam hodie Græci Sacerdotes appellant Pappas, & nos in Religione Sacerdotes appellamus Patres. Pater est per potetiam; quia summus est confessarius, quia omnibus absolvere potest casibus; qui magnas S. Petri habet claves, clauem autem, clauem regiam Paradisi, qui claudit & nemo aperit: nam nemo potestatem eius sibi assumit & aperit, non mutuatur hic aliunde claves, & nemo claudit, post ipsum aut contra ipsum: merito pater cum & patres appellamus quos nobis elegimus ad exoneranda peccata. Pater etiam est per potentiam, vt pote pater patrum, & Patriarcha. Non enim solum pater est plebis, & populi; sed & Episcoporum, & Prælatorum

Athanas.
orat. 2. con-
tra Arria-
nos.

latorū, & caput Ecclesiæ Christi. Ita enim nomen Patris cōuenit Papæ, vt nomē Poetæ apud Latinos Virgilio, apud Græcos Homero, apud Gallos Bartheaus Ronfardo, & nomen Regis Regi Galliæ: cui hoc nomen, vt Canonistæ quidam scribunt, conuenit patrelis. Nomen Papæ etiā (deriuatum à Græco *papas* aut à Siculo; sed postea iuxta Dancum ad Græco translatum significans patrem) in Ecclesia Catholica sine adiecto fuit in vsu ad significandum successores Petri, aut vniuersale Ecclesiæ sub Christo caput.

S. Victor lib. 1. de offic. Eccles. cap. 43. *Papa Romanus* (inquit S. Victor contemporaneus S. Bernardi) *Papa dicitur quia pater patrum est, & pater vniuersalis, quia toti præsidet Ecclesia.*

Insuper *ibo ad patrem*, ad Papam Pater enim est pietate, ac bonitate, quæ in ipso est aut ex officio esse debet, vt cum suauitate recolligat dispersos, & centummarinam ouiculam errantem humeris suis referat: vt recipiat cum amplexu pœnitentes (vt paulo post faciet pater nostri Prodigii) non duriter & imperiose, quod vt denotaret noster S. Hieronymus: dixit *Episcopus pateres esse, non dominos*: & forte sic ideo celebrantes Episcopi, quando populo se aduertunt, dicunt *pax vobis*: & Papa solus nec cruce, nec pedo vitur ferrato & acuto infra, etiam si eo vtantur omnes reliqui Episcopi; vt significet opinor minus sibi vtendum stimulo, ac rigore in filios, maxime pœnitentes.

Curua trahit, quos recta regit, pars vltima pugnat.

Vide Steph. Durant. de vitib. Eccles. lib. 2. cap. 9. Num. 40.

Scriptum est de significationibus Crucis, in marmore in in Ecclesia S. Stephani Tolosæ. Fortasse & ideo pictores S. Petro clauis dant, in manus; sicut S. Paulo gladium euaginatam.

Certe Papa iustus est bonus esse pater, & liberaliter dimittere: speciatim enim S. Petro dictam, cum putaret fore satis si remitteret septies, vt dimitteret septuagies septies, magno isto numero posito, pro incerto: pro toties quoties, & semper. Tot vidit domestica exempla in magistro suo cuius tenebat locum, cuius aula euntibus redeuntibus semper

atebat ad misericordiam, qui reinuitavit fœminas depræhensas in adulterio, Magdalenas, peccatrices publicas, publicanos & peccatores infames, vt se conuerterent. Nec paruum fuit incitamentum, quod ipse à Paparum Papa, pro fuga, pro abnegationibus, pro execrationibus suis, mitericordiam inuenerit ac indulgentiam tantam, tam immensam, vt non tantum in forma iubilei eam consecutus sit, sed ab omni irregularitate, & inhabilitate ad talem vel talem ordinem, absolutus: ad maiora etiam post hoc promotus, collatis ei aureis regni cœlestis clauibus, caput fratrum suorū constitutus, & vt ita dicam, vice-Deus, vice-Christus.

D. Gregor. hom. 21. & recitatur in decret. di. 50. cōsiderandum. *Hoc (inquit) factum est magna pietatis dispensatione, vt qui futurus erat pastor Ecclesia in sua culpa disceret, qualiter aliis misereri debuisset.*

Vide nostrū Theat. patient. seu Cordrum Euangelicū Conc. xxvii. part.

Vt paterni reminiscantur officij, & clementiæ, etiā dum Papæ optimi, maximi scribuntur; nec quicquam haberet periculi si veteri Romanorum more agnominarentur Clementissimi; vt moneantur clementiā & bonitatem ipsis debere esse perpetuam, & quasi primam virtutum.

In uerbo *ibo ad patrem*: id est, ad Papam. Pater enim est propter doctrinam, quam ex ipso sugimus; per concionatores quasi mammillas, qui docere non possunt, nisi quod ille approbauerit, nec scitur vtrum bene doceant, nisi ad illum tanquam ad lapidem lydium examinentur. *Quoniam ipse sapientia dux est, & sapientium emendator.*

Hoc S. Paulus se fecisse fatetur, qui decimo quarto circiter post conuersionem anno, venit videre S. Petrum, & conferre Euangelium: *Ne forte in vacuum currerem, aut cucurrissem.* Papa totius orbis scolasticus est, sub quo Apostoli, Episcopi, & Doctores Ecclesiæ hypodidascoli sunt. Ipsi speciatim claues datæ sunt: *Dabo clauem domus Dei.* Clauis scientiæ; *dulistiis clauem scientia:* clauis domus David; *habet clauem David:* clauis intelligentiæ Psal-morum

Apoc. 3.**Vide Gue-
nar. lib. 2.
horolog.****Princ. c. 18.****Secundum
Interpretem****Lat.****Matth. 16.****Daniel 7.**

morum & reliquæ scripturæ; *dedit illi scientiam Sanctorum.* Claves diuinæ Bibliothecæ (vt olim Bibliothecæ Marci Aurelij Pompeiano genero eius ante mortem, cum multis instructionibus) *tibi dabo clauis regni cælorum.* Petro specialis cura demandata est per se, aut per se, aut per alios. *Pasce oves meas* Illi dictum est, *Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Papa dicere potest per Euangelium ego vos genui: sine ipsius enim autoritate iudicare non possemus qui Euangelium scripserint, ac sine missione ipsius nemo prædicare potest Euangelium, ac denique sine expositione eius, Euangelium non est Euangelium. *Ibo denique ad patrem.* Ad Papam; cum senes patres nostri sint, Papæ autem fere ex grandæuis & prouectis ætate creentur, vt S. Petrus. *Antiquus diem sedit.* Et quamuis non semper in capite Papæ niues canique senectutis fulgeant, sapientia tamen & prudentia, quæ senum dona sunt, ibi semper suum habent domicilium: vnde & iuvenes propter maturitatem & prudentiam senes aliquando appellamus. *Senectus venerabilis est non diuturna, &c. Cani sunt sensus hominis, & atas senectus est vita immaculata.*

Atque ita quibus anima senit bene, nomen patris merentur: sicut olim Nobiles, & Senatores Romani, patres dicti sunt.

Ibo ad patrem meum. Id est Papam, ad patrem cuius filius sum, etsi refractarius ad patrem, qui mihi totus inclinatus est, etsi præter meum meritum.

Credendum enim Papas magis de errantibus curare, quam de reliquo grege, & magis in amplexu ruere cū reuertitur hæreticus, quam si alius. O Deus bone quando, semel illam vocem ex hæreticis qualescunque sunt audiemus, maxime ex Hollandis, antiquis nostris fratribus & amicis? *Surgam & ibo ad Patrem.* Ibo ad Papam, dicam peccaui? Quando tandem ad potestatem & iurisdictionem eius redibunt, quando boni atem eius degustabunt, quando doctrinam eius irrefragabilem audient, lectiones & mandata suscipient, quando antiquitatem reuerbuntur? *modo tem.*

o tempus est, durantibus induciis, ac omnino suarem tam pro salute ipsorum, quam pro honore. Non enim armis inimicorum victi, non fracti, non proacti, tam diuturnis bellis recipere fidem Catholicam, quam eiecerunt. Si dicerent modo *surgam & ibo ad patrem meum*, ibo ad Papam, tam nostrum quam reliquorum Christianorum patrem, dicam peccavi, desiderantes recipi in sinum Ecclesie, numerari inter Catholicos, sicut olim ipsorum maiores. *Fac me sicut unum ex mercenariis tuis*: reuera viderentur mihi posse gloriari se suo arbitrio ad fidem rediisse Catholicam, sicut eam suo arbitrio abiecerunt, pro tempore & annis aliquot. Et plane post Deum, ipsorum illa esset gloria, nec iactare posset Hispanus se eam armis restituisse.

O quam dies illa ipsis foret gloriosa, quam beata, & nobis etiam conterraneis ipsorum Deus bone quam iucunda? Non puto inter Catholicos quemquam adeo puerum, qui non diceret cum seniori Simone, videre seruatorem in templum, inter brachia matris Virginis inferri, ac suis concessum amplexari: *Nunc dimittis seruum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum, lumen ad reuelationem gentilium & gloriam plebis tue Israel.*

Ex hoc iam letus moriar, si rem videam tam salutarem. Ah non videbo diem illum? si non? oculi mihi iam lachrymant, cor suspirat, ex incredibili dolore: dolor me pietatis premit torcularibus, miserantem nos qui nesciunt occasione uti tam oportuna. Ergone non videbo, non audiam, aut ex ipsis aut ex publica fama, illud *surgam & ibo ad patrem*? Si hoc videre, si adire liceret, morerer letus instructus Ecclesie sacramentis. Et quem vnquam (ô Hollandia) diem habere potes aut honoratum magis, aut salutarem videres totum mundum tuis impendi congratulationibus, Roma tibi suas mittere benedictiones, dexteram tibi porrigeret Imperium, Italia te suis veneraretur officiis, ac inferiores hæ partes tecum in vete-

rem redirent amicitiam. Quicquid in eo tractu Catholicum est, depositis odiis ad tua conflueret oscula, exultaret Gallia, tota terra tripudiaret, & ageret festum. Cœlum, Deus ipse, & Angeli mirifice exultarent; cum exultent etiam super vno peccatore penitentiam agente. Videbo hoc opinor, & quam primum, tam pulchra, tam comoda est faciendi occasio. Tantum in hac re gloriæ, tantum salutis hominibus illis, qui (seposita animæ salute) tantum parantur gloriæ inter homines militares, & bellicosos. Hoc vnum completum esset & corona gloriæ ipsorum. Facerent enim hoc victores, liberi, spontanei, quod demonstrarunt totius mundi viribus, 40. fere annis, tantis exercitiis, tantis armis non potuisse extorqueri: & hac ratione quibusdam suis aduersariis, superbis, tantum facerent cordolium quantum nunquam hactenus; qui tamen de conuersione ipsorum, vt Christiani, ex altera parte gauderent. Habent exemplum beatę memorię Henricum magnum. Spero, videbo factum per Dei gratiam.